


SENIOR, DOCTORES, PASTORES  
ET RELIQUI MINISTRI,  
**IN**VARIATÆ AUGU-  
STANÆ CONFESSI<sup>N</sup>I, IN  
DANTISCANA ECCLESIA  
ADDICTI,  
LECTORI BENEVOLO,  
CUM DEBITA CULTUS, OBSERVAN-  
TIÆ, OFFICIORUM STUDIORUMQUE  
CONTESTATIONE,  
SALUTEM ET PACEM A DOMINO  
NOSTRO JESU CHRISTO!

---

G E D A N I,  
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,  
ATHEN. TYPOGR.

ve  
ne  
bi  
G  
G  
no  
Ca  
Fr  
car  
cu  
Vet  
ced  
po  
Tr  
mo  
ad  
ter  
Pac  
qua

IN ARIATIS AQUA  
SINE GOMPHOSIS  
DANTICANA ECCLESA  
T ECTOGI BEATI  
CUM DEDICACULUS OBSERVAT  
CANTO A MELISSE  
SAULTUS



Um plures de Ecclesiasticis Epistolis, quæ Græcis navoring à regulâ seu normâ, ex cuius præscripto dabantur, Latinis autem formata, vel à certæ formæ sigillo, vel quod probabilius est, à formâ conceptorum verborum, appellari conservare, scripterint; ex professo quidem Franciscus Bernhardinus Ferrarius, Ambrosiani Collegii Doctor, *de antiquo Ecclesiasticorum Epistolarum genere*, Franciscus Priorius *de Literis Canoniciis*, Gerhardus Rudolphi, sub eodem titulo &c. incidenter autem Guilielmus Voëllus & Henricus Justellus *in Bibliotheca Juris Canonici*, Guilielmus Beveregius *in Synodico seu Pandectis Canonum*, Cæsar Baronius *in Annalibus ad A. C. 142. n. 7. seq.* Carolus du Fresne *in Glossario*, Josua Arndius *in Lexico Antiquitatum Ecclesiasticarum*, & qui præ aliis insigni studio isthoc argumentum persecutus est, Gabriel Albaspinæus, Aurelianensis Episcopus, *de Veteribus Ecclesiæ ritibus*, præsertim *in notis ad Canонem XI. Concilii Chalcedonensis &c.* Ex eorundem lucubrationibus haud pauca adferri possent de Epistolis Encyclicis seu Circularibus, Synodalibus, Tractoriis, Decretalibus, Paschalibus, Commonitoriiis seu Memorialibus, Diptychis & Polyptychis aliis que. Sed quando hæad scopum nostrum parum aut nihil faciunt, consultò eas præterimus, contenti illis tantum Epistolis, quæ ab Albaspinæo in Pacificas, Commendatitias & Dimissorias distingvuntur; inter quas Ecclesia olim Pacificis solos Laicos peregrinantes, ut ad

communionem admitterentur & hospitalitatis jure gauderent ; Commendatitiis & Clericos & Laicos, ut promptius majoreque cum studio in negotiis suis adjuvarentur lautiusque exciperentur ; Dimissoriis autem solos Clericos, aut ad Clericatum aspirantes, ut in aliâ Diœcesi manere & ad ministerium admitti possent, instruebat. Ex his Commendatitiæ Græcis συστημα, quarum Paulus 2. Cor. III. 1. meminit , Dimissoriæ autem ἀπλούσια dicebantur : quas tamen appellationes successio temporis ita confudit, ut tandem & dimissoriæ literæ haud raro commendatitiæ appellarentur ; nisi forte hunc titulū ex eo promeruere, quod misso quandoq; in compendium stylo, dimissioni commendatio in eâdem Epistolâ adjungeretur. Nimirum Clerici extra diœcesin suam, sine hujusmodi literis proficisci, per antiquissimos Canones vetabantur : quibus autē tanto magis opus habebant, si & functiones sacras alibi ambirent. Sic enim in Nomocanone, per Johannem Baptistam Cotelerium, inter *Monumenta Graeca Ecclesiæ* T. I. vulgato n. 295 legitur : *De Sacerdotibus, qui regionem & civitatem mutant transiungat ab urbe in urbem, decernimus, ut ostendant literas commendatitiias ac dimissorias Episcoporum, qui eos ordinarerunt & medicorum spiritualium atque, sic ad res sacras exercendas admittantur : Absque his nequam recipiantur.* In utrisq; quas memoravimus, Epistolis, non vitæ solum, sed quām maxime etiam doctrinæ ratio, quā dimissus Ecclesiæ semet haec tenus probaverat, exponebatur. Exemplo sit Epistola commendatitia Teut-gaudi, Trevirensum Episcopi, ad Carolum Calvum Regem Clerumque Gallicanum, apud Priorium n. 51. p. 129. seq. in quā inter alia extat : *Frater nobis charissimus, & cunctis benevolentibus, nomine Hegilo, quia diaœcesanus noster erat, in nostrâ videlicet diaœcesi nutritus & tonsus, sacroque dogmate sanctorum Scripturarum plenissimè eruditus, & honestissimè conversatus atque in Ecclesiâ nobis commissa ad sacerdotti dignitatem fuerat promotus, licentiam à nobis petiit, ut more cononicô, absolutione susceptâ, & largitâ sibi benedictione, tutius atque securius loca*

San-

Sanctorum visitare, & ad vestram presentiam liberius accedere valeret,  
ad quemcumque ex vobis illum itineris varietas perduxisset. Itaque nos pe-  
titioni ejus assensum tribuentes, & venerationi illius consentientes, ad-  
quievimus consentiendo, quod secundum Deum desiderare videbatur.  
Quocirca suppliciter deprecamur, & obnoxie depositimus humanitatem  
vestram, ut honorabiliter suscepimus, sicut Dei templum & habitaculum  
Spiritus Sancti, veluti mansionem Sancte Trinitatis, quemadmodum pre-  
iosissimum membrum Christi, sicuti auctum dono, & largitate septifor-  
mis gratia Dei, quocunque pervenerit, sive modico, seu largiori spatio apud  
vos moraturus, benignè tractetis, humanè excipiatis. Similiter non-  
nulla ex Epistolâ dimissoriâ Ragemberti Vercellensis Episcopi,  
ad Andream Mediolanensem Archipræfulem, quam Ferrari-  
us L. i. p. 25. seq. suggerit, depromere liceat, sequentem in mo-  
dum se habentia: Quia sacris apicibus vestris Valfreduum, Ecclesia no-  
stra Subdiaconum, vobis consecrandum Ecclesia Iporensi, ad votum Cle-  
ri & populi, Praesulem expetitis, nefas à nobis aliquid sanctis petitionibus ve-  
stris existimantes denegari, juxta morem & reverentiam Canonica defi-  
nitionis, usque ad gradum Subdiaconi, nostrorum Praecessorum sollicitudine  
promotum, Paternitati vestre ad Episcopalem Cathedram, Domino ad-  
miniculante, concedimus promovendum. Ne ergo de ipsius vitâ & con-  
versatione, presenti occasione, quidpiam Almitati vestra necesse sit ambige-  
re, presentibus humilitatis nostra literis eum prosecui sumus; quibus il-  
lum in sacrosanctâ religione, in quantum audivimus & cognovimus, atque  
humana fragilitas existimare sufficit, hactenus versatum fuisse testifica-  
mur, eumque ad id ministerium peragendum satis profitemur idoneum.  
Ita veteres. Quorum propterea recordamur, quod eosdem, u-  
bicunque rectâ viâ præcesserunt, nemo nisi laevæ mentis, imi-  
tandos esse negabit. Vixit nimirum hactenus Gedani ac nobis-  
cum ultra septennium vineam Domini, ea quâ fieri potuit di-  
ligentiâ & circumspectione, exercuit, Vir plurimum Reveren-  
dus ac Clarissimus, Dn. EPHRAIM PRÆTORIUS, Gedani ii.

Martii

Martii M DC LVII natus, qui ut Athenæum patrium fileamus,  
in puris nullig. suspicioni obnoxius Academiis, Witebergensi & Rostochiensi,  
orthodoxos Theologos (sic enim ipse, DEO pro insigne hoc benefi-  
cio gratias agens, in literis ad Amicum profitetur) sectatus est.  
Primum eruditionis specimen 30. Junii M DC LXXIX. sub  
M. Samuele Schelguigio, tum SS. Theol. Professore extraor-  
dinario, super partem XII. Exercitationis *de Concilio Hierosoly-  
mitano*, respondendo edidit; alterum 18. Julii M DC LXXIX,  
ut Autor, Præside, Collegá quondam nostro, etiam post fata ve-  
nerando, D. Ægidio Strauchio, *de Jonâ sepultum atq. resurgentem  
Salvatorem adumbrante*, ex Matth. XII. 40. Eidem inhærens tra-  
miti, in Academiis etiam pulchellos ingenii sui fœtus cathedræ  
obtulit, Witebergæ quidem 27. Aprilis M DC XXCI. Actum  
*specialem Providentia divina circa justum, in custodiendis ejus osibus in-  
tegris*, ex Ps. XXXIV. 21. moderante de universâ Ecclesiâ me-  
ritissimo D. Johanne Andreâ Quenstedio; Rostochii verò 30.  
Junii M DC XXCIII. *Atheum proprio gladio jugulatum, ex Eccles.*  
III, 18, 19, 20, 21. sub umbone summe Reverendi D. Michaëlis  
Cobabi. Redux in patriam tentamini, quod vocatur, coram  
R. Ministerio se, ut par est, stitit, testimoniumque honorificum  
ex merito obtinuit. Anno M DC XXCV. in Mariæburgensi  
insulâ, per vocatorias literas 20. Augusti exaratas, Ecclesiæ ru-  
restri Paleomünsterbergensi & Gnojavieni præfectus, talem  
se gessit, ut à Magnifico Amplissimoque Gedanensium Senatu  
ac reliquis honoratissimis Ordinibus 13. Maii M DC XCIX. in  
urbem accitus, nosocomii ad D. Lazari, coetusque satis nume-  
rosi, qui ibidem cultûs gratiâ convenit, Ecclesiastes esse jubere-  
tur. Quam spartam eo onerosiorem, quod altero abhinc anno  
animarum apud pauperes, qui in novâ Dispensationis, ut dici-  
tur, domo, aluntur, cura accederet, postquam per quadriennium  
solerter ornaverat, M DCCII. cum functione ad ædem D. Ja-  
cobi, 9. Martii delatâ, commutavit. Orthodoxiæ formæque sa-  
norum verborum, quæ præeunte Scripturâ S. in libris Ecclesiæ  
nostræ

nostræ Symbolicis traditur, constantissimè adhæsit: Hæreses non veteres solum, sed novas etiam, cum quibus aliquandiu Ecclesiæ, eheu! conflictandum fuit, cane & angue pejus odit: techizandis rudibus, non in angulo aliquo, quod Fanaticis alibi solenne est, sed in publico templo semet impendere haud quaquam dubitavit: Synodis Ecclesiasticis singulari cum pro-lubio animi, sedulò interfuit, neque ullum hujusmodi conven-tum, sine prægnanti causâ, neglexit: verâ nulloque fuso infecta pietate gregi suo præluxit: horas subcisis, ut calamo non minus, quam labiis proximum instrueret, in libros scribendos collocavit. \* Talis itaque cum sit, utinam perpetuò nobis-cum maneat! Hæc votorum summa est, apud bonos quoscun-que, qui à Viro pio & docto, Collegâ laborum paciente, amico candido & sincero, agrè divelluntur. Enimverò cedendum Numini, nec obloquendum ei, cuius arbitrio, ut universa, sic præ reliquis res Ecclesiæ volvuntur & diriguntur. Visum enim est DEO, operarios in vineâ pro lubitu disponenti, per Magni-ficum Amplissimumque Civitatis Thoruniensis Senatum, hu-meris plurimùm Reverendi Dn. PRÆTORII, hactenus nostri, Pastoratum ad D. Mariæ, & Senioratum R. Ministerii, invariatam Augustanam Confessionem ibi amplectentis, im-ponere: Hisce moliminibus, cum laudatissimi Civitatis nostræ Ordines, consentiendo annuerint, quid supereft, quam ut nos quoque, vel cum gemitu, applaudamus, discessurumque literis & Dimissoriis & Commendatitiis prosequamur. Non igno-tum nobis est, quod in Canone XI. Concilii Chalcedonensis, su-prà allegato, ex versione vulgari, *literæ commendatitie iùs solum personis, quæ suspecta sunt, præberi* perhibeantur. Enimverò Alba-spinæus p. 369. pridem ostendit, interpres errasse lectorem que simul in errorem induxisse, quando voces τοῖς στον ἐν ὑπολήψει reddidere suspectis; cum de honoratoribus seu in existimatione constitutis intelligerentur. Absit igitur, ut per commendationem nostram, suspicione aliquâ abeuntem gravemus, de cuius in-tegrita-

103076

tegritate paulò ante luculenter' adeo testati sumus , cuique de existimatione, quam apud exterorū consecutus est, ex animo gratulamur. Abeat ille igitur in pace: adeat Ecclesiam sibi demandatam cum benedictione: Patronos inveniat faventes, Collegas amantes, auditores morigeros: serat feliciter, metat cum fructu: tandemque nobiscum ab Archipastore immarcessibilem gloriæ coronam reportet. Dantisci M DCCV die(quo Commendatus ante annos XX. apud nos Apostolico ritu ordinabatur)  
28. Augusti

\* Scriptorum à Dn. PRÆTORIO editorum hi tituli sunt (1) Gott gefälliger H. Bibel-Fleiß/ in 2. ausführlichen Predigten. Danzig. 1693. 8vo. (2) Bibliotheca Homiletica. Ged. 1691. Eadem dimidiā parte auctior. Lips. 1698. 4to. (3) Geistliche Seelen-Taube/über das Lied Herbergeri: Valet will ich dir geben re. in 5. Predigten; nebst noch einer Predigt / Leipzig 1700. 8vo. (4) Würdiger Tisch-Gast bei der Gnaden-Tafel Jesu Christi/ im Heil. Abendmahl. Leipzig 1702. 12mo. (5) Das dem Spend-Hause in Danzig wiederfahrne Heyl/ oder Einweihungs-Predigt ex Matth. VIII, 23 – 27. Danzig 1703. 4to. (6) Danziger Lehrer Gedächtniß. Leipzig 1704. 8vo. (7) Wunderliche Führung Gottes/oder Predigt über Joh. II, 1. seq. Danzig 1705. 4to.

CS (O) S